

05

A

759





IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS
generatim consideratis

DISPUTATIO VII.

De

GENTILISMO.

Quam

Adspirante Dei ter Opt. Max. gratiã

sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Th. D. & Profess. publ.

Ad placidam συζήτησιν προ-
ponit

JACOBUS KOCKERT

Lübecensis Saxo.

Ad diem Octob. horis pomeridianis,

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M DC XXV.

Magnifico, amplissimo, & venerabilissimo

V I R O

Dn. ALEXANDRO LUNEBURG

liberæ ac imperialis urbis Lubecæ Consuli
primario meritissimo.

Nec non

Admodum Reverendis Clarissimis & Excellentissimis

V I R I S

Dn. FRIDERICO BALDUINO, S.S. Th.

Doctore celeberrimo, P.P. in Electorali ad Albim Aca-
demia primario, & Superintendenti ac Pastori Witeber-
genium dignissimo,

Dn. BALTHASARI MEISNERO, S.S. Th. Do-
ctore eximio & P.R. ibidem longè dignissimo

&

Dn. NICOLAO HUNNIO S.S. Theol. Doctore

egregio & Ecclesiarum Lubecensium Superintendenti

vigilantissimo

tum quoq;

Clarissimo & Excellentissimo VIRO

Dn. M. ERASMO Schmid. Gr. l. & Mathematicum Pro-
fessori Witeb. Electoraliumq; alumnorum Inspectori

meritissimo,

Quin &

Reverend. Clarissimis & Excellentissimis Viris

Dn. M. JOHANNI MULLERO S.S. Th. L. & Ecclesiæ

Lunæburgensis. ad D. Mich. Pastori & Inspectori

fidissimo. &

Dn. M. MICHAELI SIRICIO templi Mariani apud Lu-

becenses Pastori solertissimo

deniq;

Spectatissimo Prudentissimoq; Viro

Dn. JOHANNI PETERSEN Lubecensium inclutæ Rei-

pub. Senatori fidissimo, Avunculo charissimo.

Dn. Patronis Præceptoribus Promotoribus ac Fautorib. suis pl. colendis

hanc disputationem. dat, dicat, consecrat

Jacobus Kockert Aut. & Resp.



05 A 759



Συμ Θεω.

DISSERTATIO DE RELIGIONE GENTILI.
THEOREMA I.

Religio Gentium duas potissimum appellationes habet. Primum enim dicitur Gentilis seu ἔθνη, ut distinguatur à religione Judaica. 2. Dicitur Pagana, vel ἐθ, quòd olim Gentiles in publicis compitis & pagis Deastros suos coluerint, vel quòd post disseminatum Evangelium tantum pagis quibusdam conclusifuerint. Hæc posterior sententia est Heraldil. 1. in Arnob. Prior Pauli Orosii. 1. contra Pagan.

Gentilis, græcè ἔθνη dicitur ἀπὸ τοῦ ἔθνος à gente. Usitatum autem est in V. & N. T. universum mortalium cætum in Gentes & Judæos dispertiri. Exempla reperies Esai. 49, 6. Psal. 147, 20. Esa. 60, 30. Luc. 1, 32. Actor. 4, 27. Actor. 13, 46. Actor. 14, 5. 2. Cor. 11, 26. Matth. 15, 24. &c. Quia enim ante Evangelii universalem prædicationem ignis Jehovæ erat Tzione, & furnus Jerusalem Esai. c. 31, v. ult. hinc factum, ut non solum in V. T. Sed & circa initium N. T. populi vera religione carentes distinctionis causa dicerentur Gentes. Eodem modo S. scriptura distinguit populos in Judæos & Græcos, Actor. 18, c. v. 4. 1. Cor. 1, 22, 23, & 24. Gal. 3, 28. Nā Græcorum natio erat tunc celeberrima inter gentes. Caput autem hæc distinctio, tempore Monarchiæ Græcæ, ex quo Judæi omnes populos reliquos græcorum nomine indigetarunt. Apud profanos scriptores similis distinctio occurrit, qua universus mundus in Græcos & barbaros dividebatur. Quicquid enim non erat Græcum vel Romanum, id Græcis vel Romanis barbarum appellabatur unde. Rom. 1, 14. D. P. ait: Græcis &

ἔθνησι.
1. Etymolog.

eis & barbaris debitorum; Et Cicero calumnia notativum barba-
 rum à græcis vocari refert, quippè qui non agnoscunt eum ca-
 sum, qui est latinorum proprius. Cæterum 2. in verbo Dei et-
 iam quivis impius appellatur Ethnicus. E. G. 1. Tim. 5. 8. ubi dici-
 tur. Qui suos non alit fidem abnegavit, & deterior est quovis
 Ethnico, id est, impio. Sic 1. Cor. 5. legimus, talem esse incestum
 Corinthiaci hominis, qui nec inter Gentes seu quosvis impios no-
 minatur. Nam & ipsi Corinthij non erant Judæi sed Ethnici. Vid.
 Flac. par. 1. clav. p. 360. Hoc sensu Judæi appellarunt & etiam nū
 appellant *καταχρηστικῶς* nos Christianos *ἔθνη* gentes, quasi
 Abominabilem gentem. Imò unum Christianum virum in indi-
 viduo vocant *ἄθνη* goi & feminam *ἄθνη* goiah. Qua calumnia re-
 cutitus Appella omne acerbitatis suæ occultum virus in nos ef-
 fundit. Unum autem virum esse *ἄθνη* sive Gentem, nemo sanus
 unquam statuit. Quanquam illi frustra se excusant exemplo Abi-
 melechi, Gen. c. 20. 4. dicentis; Numquid gentem justam interfi-
 cies? Ubi per gentem solum Abimelechum malè intelligunt.
 Atq; ita id, quod antè Generale Ethnicorum nomen erat, nunc
 ad solos Christianos restrinxerunt. Ex quo autem libri ipsorum
 censura Christianorum in quibusdam locis fuere subjecti pro
ἔθνη declinandæ invidia causa substituerunt *κοιτίαι* aut abbre-
 viatum vocabulum *νεε* quod sic exponitur *עבודת אלילים*
עבדו hoc est: servientes servitia Idolis aut *עבדו* id est, *עבדו*
כוכבין ומזלות colentes stellas & astra, quibus titulis Christia-
 nos immerentes ornant. Pari sarcasmo utuntur, quando ex Psal.
 80, 14. Christianorum regnum denominant *מַעַר הַחַיִּיר* id est,
 porcum de Sylva, quia porcos comedunt, & à Romanis velut à
 porcis vastata sit Jerosolyma. Ex his igitur facile apparet, cur
 Religio, quæ inter Gentes viguit, dici possit, Gentilis, seu Ethni-
 ca, nimirum 1. propter distinctionem à Judæa, 2. propter adjun-
 ctam impietatem cultus.

2. ὁμωνυ-
 μία.

Est autem nomen Gentilis *ἐκ τῶν πολλὰ χῶς λεγομένων* un-
 de variis modis accipitur. Est enim vel *ἄγρονον* & profa-
 num, vel *ἑσπερον* seu sacrum. Apud profanos scriptores di-
 cuntur gentiles 1. illi, qui ex eadem gente sunt & idem nomen ha-
 bent, licet cognomina habeant diversa, teste Cic. in Topic. & lib.

1. Tusc.

inter se, ut sunt Scipiones, Bruti & cæteri. Quid si servi sunt? Num nulla gentilitas esse potest? Minimè. Quid si libertinorum civium Romanorum eodem nomine nuncupentur? Num gentilitas ulla est? Ne id quidem, quoniam ab antiquitate ingemorum gentilitas dicitur. 2. Gentile est id quod alicui genti proprium est, sic Gentilia tympana dixit Juven. quæ genti propria sunt. 3. In sacris literis Gentiles dicuntur Idololatræ, qui aliam, atque Christiani, religionem habent. Quæ significatio etiam hic locum obtinet, quando religionem Gentium vocamus Gentilem.

Ad συνωνυμίαν pertinent Periphrases seu variæ appellationes Gentilismi. Vocatur autem alias græcè in S. S. ειδωλολατρεία, 1. Cor. 10, 14 τὸ ψεῦδος, mendacium Rom. 1, 23. In Ecclesiastico videtur vocari βδελύγμα, c. 47, 29, & 31. quam vocem Lutherus vertit per ger. Abgötterey. Et cap. 49, 3. fundamentum extat hujus explicationis. Ibi enim Rex Josias legitur abstulisse βδελύγματα ἀνομίας abominationes injustitiæ, qui altaria & cultum Baalis abrogavit juxta 4. Reg. c. 23, 4. Hebraicè vocatur עֲרֻפִּים idolorum cultus, 1. Sam. 15, 23. à rad. עָרַפּ vel à עָרַף defecit. כְּבוֹדֵי הַלְוִיָּהוּ vanitates. Deut. 32, 21. & passim in libris Regum. נַפְתָּלִים vanitas falsitas, Prov. 30, 8. הַרְשָׁעָה via mendacij Psal. 119, 29. &c. vide Flacium par. 1. Cla. in voce Mendacium, Idolum, Vanitas & similib.

Secundò Pagana dicitur Religio gentium, 1. vel à pagis, in quibus εἰδωλοθρησκείας suas exercere solebant juxta Heraldum, 2. vel à paganorum rusticitate. Ita August. de ver. cred. c. 13 eam ab agresti doctrina & cultu idolorum nominare videtur Hanc enim differentiam constituit inter Christianum & Paganum, quod illi credere Christo præcipiunt etiam sine ratione, hi tum demum, si ratio indubitata afferatur. Philip. Camer. cent. 1. p. m. 260. vide etiam Admodum Rev. & Clariss. Dn. Præsidentem Præceptorem meum perpetim honorandum par. 1. Phil. Sob p. 531. & in orat. quæ inscribitur, Christianus, 3. vel ab inusu militiæ, seu vacatione à militia. Sæpè enim paganus opponitur militi (teste Ulpiano l. tractabatur ff. de militari testamento) & dicitur is, qui nunquam stipendia meruit. Græcè ἀσράτευτος, ἀπόλεμος. Ideò Hieronymus

nymus & alij scriptores Ecclesiastici Ethnicos vocant Paganos, qui nunquam sub vexillo Christi militârunt. Hæc de Definitione Nominis, sequitur Definitio Rei.

THEOREMA II.

Definitio
Rei.

Religio Gentilis est doctrina, qua imbutæ gentes, quæ de vero DEO nihil sciunt, tùm homines in Deorum numerum post mortem relatos tùm alias creaturas etiam irracionales pro vero Deo coluerunt.

Definitio hæc est perfecta Accidentis. Constat enim genere, Differentia & causa. Genus ejus est doctrina. Cum enim religio in genere sit doctrina, & habitus acquisitus, quatenus nimirum animis tanquam subjecto Inhæſionis comprehensa est, sequitur, etiam falsam religionem & in specie Gentilismum esse doctrinam. Nihil enim potest dici de genere, quin idem dici queat de qualibet specie, ut docet Aristoteles lib. 1. Categ. c. 1. Differentia specifica est ipse superstitiosus Gentilium cultus vel hominibus in ordinem DEORUM adscriptis, vel creaturis aliis tam inanimatis quàm viventibus loco veri DEI attributus. De qua amentia eorum conqueritur D. Apostolus Rom. 1, 23. Mutârunt gloriam incorruptibilis DEI in efformatam imaginem corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & reptilium, & paulò antè v. 22. Cùm DEUM nôrint, tamen, ut DEUM non glorificarunt, neq; gratias ei egerunt, sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor eorum intelligentiâ carens.

Causa Efficiens interna Ethnicismi est Ignorantia Verbi divini. Tres quidem fontes sunt, unde omnis falsa religio oritur, enumeranturq; à Chemnitio par. 1. L. T. 2. pag. 141. Nam vel ex supercilioso fastu seu *Φλαυρία*, vel ex rationis & dialecticæ abusu, vel ex *ὀλιγομαθεία* nasci deprehenditur. Ignorantia autem verbi Divini fecundissima errorum mater & nutrix est, quod innuit ipse Salvator Matthæi 22, 29. cùm Sadducæis erroris sui fontem ob oculos ponit hic verbis: Erratis, nescientes scripturas & potentiam Dei, seu, ut Evangelista Marcus pro more suo verba Matthæi

Matthæi

quòd nesciatis scripturas neq; virtutem Dei? Causa efficiens
externa, seu *περὸν ἀρμύνη* est ipse Sathanas, qui cæcitate men-
tis humanæ ad variorum simulachrorum adorationem pro sua
libidine eos impulit. 1. Corinth. 12, 2. Ille est inimicus, qui dor-
mientibus hominibus Zizânia spargit inter triticum, Matth. 13,
25. ille est pater omnis mendacij Johan. 8, 44. & per consequens
etiam Ethnicismi.

THEOREMA III.

*Tria autem capita de Ethnicismo observanda sunt. 1. Ortus
& progressus. 2. Furor ejus in Ecclesiam.
3. Obitus ejus.*

ἐξήγησες.

In universali *κατακλυσμῶ* seu inundatione aquarum, qua
omnia ferè animantia mortem hauserunt, ad tam paucos reda-
cta erat hominum natio, ut Noah, ejus uxor unà cum tribus filiis
& totidem nuribus soli superstites evaserint. Postea tempora
filij Noæ, Sem, Cham, Japhet gentem humanam per benedictio-
nem Dei magis magisque multiplicarunt, ut ex Genealogia No-
achi Genesis c. 10. patescit. A Japheto autem cum primis Gen-
tiles ortum suum traxisse fatetur Moses d. l. v. 5. Non tamen
ita hoc accipiendum est quasi non ante diluvium reperti fuerint
impij cultus & idolotria, nam non obscure innuit Moses cap. 6,
11, & 12. eos, qui ante diluvium vixerunt, doctrinam de ven-
turo Messia contempisse, ex quo contemptu nata est paula-
tim cæcitas mentis, superstitio, hypocrisis & tandem pruritus
commentitiæ religionis. Post diluvium verò crescente morta-
lium numero, cum denuò vox Evangelij vili penderetur, &
animos hominum stultus amor Idololatricarum vanitatum
incederet, permisit Deus oculo quasi connivente, mundum pa-
ganismo velut novo quodam diluvio occupari, ita ut præter
Israelitas nulla gens intacta relinqueretur. Ad hanc rem
perficiendam mirâ calliditate, technis & stratagematibus usus
est Diabolus. Imitatus enim est Antiquus ille serpens Apocalypsis
12. umbram divini cultus in sacris literis præscripti, & dum

κακοζηλία quadam fallaci specie[m] veræ religionis præten-
dit, animos incautos simpliciorum hominum miserè dementavit. Et
hoc nemini mirum videri debet. Nam velut de Protheo scribit
Ovid. l. i. Faltor. Ille suam faciem transformat & alterat arte: sic
Sathanas se transformat in Angelum lucis, 2. Cor. 11, 14. Cumq[ue]
ipsius servi Pseudoprophetæ sub vellere ovium lupinum animum
gerant Matth. 7, 15 quid mirum, si Sathanas ipse tam versutus sit
generis humani hostis? Ut autem res eò manifestius elucescat, ex-
emplis aliquot adductis eam declarabimus.

1. Exēplum

1. Deus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπων cum Patriarchis V. T.
locutus est, Heb. 1, 1. & non fecit quicquam, quin prius revelarit
secretum suum Prophetis servis suis, Amos c. 3, 7. Mofi quidem
à facie ad faciem locutus, Num. 12, 6. cæteris patribus & Prophe-
tis. per visiones Gen. 46, 2. 2. Sam. 17, 17. Esa. c. 6, 1. Jer. c. 24, 1, & 2.
Ezech. c. 1, 1. Dan. 3, 19. c. 7, 2. Amos 8, 1. Zach. c. 4, 2. easq[ue] in for-
ma vel humana, ut Gen. 32, 24. Dan. 7, 13. vel Angelica, Jud. 13, 3.
vel in alia deniq[ue] creaturarum forma, uti erat nubes & columna
Exod. 13, 21. ignis edax nec edax, Exod. 3, 2. & c. 2. vel per verbum
εἰμέσως & nullo interveniente hominum ministerio prolatum,
ut patet in Adamo, Gen. 3, 8, 9. Caino, Gen. 4, 9. Nohe, c. 6, 13. &
c. 7, 1. Abraham c. 15, 1. & c. 3. Vel per somnia θεόπεμπτα, ut fa-
ctum est Balaamo, Num. 22, 20. Magis Matth. 2, 12. 4. Vel per
sortem Act. 1, 26. 5. Vel per Urim & Thumim, & c. Exod. 28, 30.
Vide hac de re Clariss. Dn. Præsid. par. 2. Phil. Sob. pag. m. 394. seq.
Hæc ut imitatione falsa in contemptum adduceret, mundumq[ue]
à Deo vero sub inani religionis larva seduceret Sathan, excogi-
tavit & ipse omnis generis oracula & responsa dedit vel ex ady-
tis delubrorū interioribus, vel ex specuum subterraneorum hia-
tibus, vel per homines Pythonico spiritu agitados vel per statuas,
in quas arte magica ipse Sathan ab hominibus erat invitatus, vel
aliis id genus modis, de hoc postremo autem testatur etiam Her-
mes in Asclepio: Homo, inquit, statuas ad similitudinem suam
facit, in quas arte magica spiritus invitat, aut ipsi ad eas ultrò ac-
cedunt & hi humano generi futura prædicunt. Tale fuit Delphis
Pythium Apollinis oraculum, tale fuit oraculum Apollini Didy-
mæo sacrum apud Branchiadas. Tale fuit oraculum Martis apud
Teuci-

bolus personatus, qui sub his statuis & imaginibus latens respon-
sa dare putabatur, ut ita deliræ gentilitati persuaderet, non mi-
nùs suam quàm Judæorum religionem futurorum prædictioni-
bus niti. Neque enim (his verbis oracula, quæ simias DEI agunt,
ex Porphyrio describit Mornæus) in ulla re delectantur ac labo-
rant magis Dæmones, quàm ut Dii habeantur, & qui apud eos
summus (serapidem illi vocant, nos Beelzebub) ut summi, DEI
locum teneat.

2. Pospicit DEUS primitias frugum, fructuum, gregis à popu-
lo suo, Exod. 23, 19. & 34, cap. v. 26. Levit. 23, 10. Num. 18, 13. Deut. 18,
4. & 26, 2. eam ob causam, ut omnes facultates & frugum copiã
ejus paternæ indulgentiæ acceptam ferrent. Hunc honorem
deferunt idolis suis Pagani, quæ nec creare quicquam nec fruges
contra aeris injurias & tempestates tueri possunt. Ferunt enim
Jovem proposuisse optionem Vestæ, cujus ope imperii frana
adeptus erat, ut, quod mallet, eligeret. At hanc prius virginita-
tem perpetuam poposcisse, dein primitias omnium, quæ Diis
offerri solebant, referente Natali Comit. in Mythol. l. 2. p. 88.

3. Deus sacrificia varia in veteri Testamento à populo suo
electo poposcisse legitur. Quale erat קרבן עולה sacrifice-
cium pro peccato, Exod. 29, cap. ה' latine holocaustum, Exod.
29, 18. Levit. 4. & 5. c. זבח oblatio pro reatu, Levit. 5, 16.
זבח מלאים hoc est, sacrificium impletionum, Levit. 8, 33.
זבח טהרה seu sacrificium mundationis, Levit. 12, 6. זבח כפרים sacri-
fici-
cium expiatorium, Levit. 23, 28. Et ejus generis plura sacrificia
ex præscripto DEI apud Israelitas erant in usu. Hæc præpostero
studio Dæmon *επιμιθῆναι* & ille mimus & simulator DEI etiam
æmulatus est, ut se DEUM faceret, & sibi sacras hostias offerri ab
Idololatræ voluit. Hinc Ethnici coram Idolis thus incende-
bant, Arnob. lib. 7. contra gentes, libamina & thymiamina illis
consecrabant. Socrates lib. 3. hist. Eccles. c. 4. lampades & cereos
illis accendebant, teste Baruch c. 6, 10. honorabant statuas flo-
ribus & corallis, quæ solebant ante divum pedes deponi, si non
posset caput eorum tangi. Ibid. c. 6, 8. Actor. 14, 13. Arnob. lib. 7.
amicula illis circumdabant, Baruch. c. 6, 12. O misellū Deastrum,
B. qui

qui de vestimento ne tibi quidem nequam animis prospicere poterit.
Hunc morum morem etiam falsè risit Dionysius, qui Jovi Olympio, cum in fanum ejus venisset, aureum detraxit amiculum grandi pondere, dicens, æstate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum, ei que laneum pallium injecit, cui id esse aptius ad omne anni tempus diceret. Cicer. de Nat. Deor. lib. 3. Porro circumgestabant etiam Deos suos gentiles. Esa. 46, 7. Amos c. 5, 26. Baruch c. 6, 3. non secus ac Israelitæ arcam fœderis circumgestarunt. Num. 10, 33. & 34. Psal. 132, 8. Jos. 6, 11. 1. Sam. 4, 3, 4. Adorabant simulachra flexis poplitibus prostratique in terram, Esa. 44, 17. Vovebant illis, Baruch c. 6, 34. Idem etiam Virgil. 2. Æneid. de Græcis ad Trojam pugnantibus testatur. Votum, inquit, pro reditu simulant. August. Epist. 45. Valer. Max. lib. 1. memorab. c. 1.

Variæ quoque species victimarum & sacrificiorum erant apud Ethnicos. Aliæ fiebant ab iis, qui cum sanitate in gratiam redierant, quæ soteria appellabantur. Aliæ ab iis, qui piaculum commiserant, quæ victimæ animales vocabantur. Aliæ mactabantur victimæ consultandi gratia, quæ dicebantur Consultatoria: Aliæ, cum gratias agerent, cum aliquid peterent, cum periculum vitassent (ut videre est ex exemplo Horatii propè funerati arboris ictu, lib. 3. od. 8.) cum Deos iratos placarent, cum honorem & observantiam suam erga Deos testari vellent. Vid. Valer. Max. l. 1. c. 1. & imprimis Natal. Comit. l. 1. à pag. 21 usque ad 62. Utebantur etiam ambarvalibus, lustralibus, agonialibus, Inferiis Bacchanalibus, gentilitiis seu familiarum propriis sacris, & ejus generis aliis, quæ adeò sunt multa, loquacem

Delassare queant Fabium.

4. Mos erat apud Judæos Dei institutus jussu, & longo usu confirmatus, servare perpetuum in altari ignem, à quo quotidie summo manè lignum sacrificiis destinatum accendi oportebat, Levit. 6, 12, 13. Ita Ethnici etiam ignem perpetuum in fano Vestæ, quam Deam fecerunt, asservasse leguntur, adeò ut piaculum & perniciosum haberetur, si per incuriã custodum ignis fuisset extinctus, id quod docent historiæ de Licinio & Virgine Æmilia apud Valer. Max. l. 1. c. 1. Hujus ignis passim mentio fit apud Ciceronem & alios scriptores prophanos.

5 Deu

Deus gratiam Patriarcharum recordationem & memo-
riam in populo sibi *μεμνησίν* instituit juxta Psal. 112, 6. In Memo-
ria perpetua est justus, & Prov. 10, 7. Memoria justus benedicta
est. Imò recordationem piè defunctorum usu receptam fuisse,
patet ex historia Saulis & Davidis, 1. Sam. 18, 7. & c. Sic Gentilitas
perperam hoc imitata homines benè de aliis aut de Repub.
meritos in cœlum evexit & Deos fecit. Cui rei adulatio nimia
subditorum & aulicorum erga suos Principes maximam fene-
stram patefecit. Hinc igitur successu temporis innumerabile
Deorum agmen extitit.

Ex his facili negotio animadverti potest, quibus ab initiis
Ethnicismus ortus sit, & quàm specioso sinceræ religionis inte-
gumento Diabolus usus sit ad occultandas fallacias suas & im-
placabile odium, cùm erga omnes homines tùm præcipuè erga
pios & fideles. Non enim statim in verbis & factis promptum
gerit, & profitetur, quod in pectore (si quod Diabolo pectus)
clausum habet. Serpens est propter calliditatem, Gen 31 Apoc. 12.
& 2. Cor. 11. Leo est propter animositatem, 1. Pet 5. Draco rubens
propter crudelitatem & iracundiam, Apoc. 12. 3. Ut non imme-
ritò D. August. dixisse videatur l. 8 de Civ. DEI c. 22. Diaboli sunt
spiritus nocendi cupidissimi, à justitia penitus alieni, superbiâ tu-
midi, invidentiâ lividi, fallaciâ callidi. Et Cyprian. l. 1. Epist. 8.
Mentitur, inquit, Diabolus ut fallat, blanditur, ut noceat, bona
promittit, ut mala tribuat, vitam pollicetur, ut perimat.

Nolo hic in simulachris paganorum sigillatim percensu-
dis tempus & chartam perdere, cùm illa ex historiis Ethnicis re-
ctius petantur, & ipsi sanè Divi videantur indigni, quorum me-
moriâ prolixè recolamus, vel ob res nefariè & sceleratè ab iis,
dum in terris versarentur, perpetratas, vel ob opprobrium, quo
eos Sacræ literæ afficiunt. Nam nuncupantur *שְׂרָפִים* id est,
stercora, seu stercorei Dii, eò quod sint excrementa Satanae,
1. Regum 15, 12. 2. Reg. 17, 12. Derivatur autem hoc nomen à
rad. *שָׂרַף* àvolvendo. 2. *שָׂרַף* Dii vastantes, scilicet regio-
nes, nam propter injustitias & contumelias & diversos dolos
regnum à gente in gentem transfertur. Sirac. 10, 8. & propter
Deos suos gentiles è terra Chanaan expulsi sunt, 1. Sam. 12, 2.



ἀράδ. ἢ ἰσ. 3. dicuntur ἰσ. ἢ ἰσ. a. ἰσ. quod coarctare igni-
ficat, quia Dii isti non possunt ex angustiis cultores suos eripere,
sed relinquunt illos sine spe & ope in calamitatibus, Esa. 45, 16.
Et λεγόμενοι κύριοι καὶ θεοὶ appellantur, 1 Cor. 8, 5.

**Multitudo
Deastrorum.**

Infinita autem fuit multitudo Deorum gentilium. Hesio-
dus scribit ad 30000. Dæmonum esse, qui sint Jovis ministri, &
observent hominum facta. At Jamblichus & Trismegistus &
alii non solum 30000. Dæmonum esse censuerunt, sed univer-
sum aëra & cælos esse plenos dæmonibus crediderunt. Et D.
Augustinus apud veteres jam tum tricies sexies mille Deastros
Paganorum extitisse scribit lib. 18. de civ. DEI c. 18. Et Athe-
nienfes cum DEUM quidem esse cognoscerent, quis autem esset,
in tanta Deorum multitudine ignorarent, Ἀγνώσω Θεῶν ἀραν
erexere. Act. 17, 23.

**Divisio Idolo-
rum.**

Itaque brevitatis memor distinguam rudi saltem minervâ
quoad ejus fieri potest, πολυθεότης Ethnicorum in certas clas-
ses. Solent autem nonnulli generaliter distinguentes alios Ma-
jorum, alios Minorum gentium Deos appellare.

**Majorum
gentium Dii
qui?**

Majorum gentium Dii sunt 12, ab Ennio his versibus inclusi:
Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius,
Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Quibus addunt alii Bac-
chum & Saturnum. Horum hominum vitam nefandam, adul-
teriis, latrociniis, incestibus, homicidiis, veneficiis, aliisque fla-
gitiis contaminatam ex Poetarum veterum monumentis co-
gnoscere abundè licet, quò lectorem cupidum remittimus.

**Minorum
gentium Dii
qui?**

Minorum gentium Dii erant itidem homines, quos alii vel in
deliciis & amoribus summis habuerant, vel quos valdè metuere
consueverant. Sic Alexander M. per Hephæstionem inter Divos
locatum jurabat, Schönborner. in polit. pag. 143.

Quod si quis specialiore Dæmonum seu Idolorum divi-
sionem & anatomen desiderat, videtur ei posse non absurdè ta-
lis divisio πολυθείας gentilis proponi, ut alii sint Dii Cœlestes, alii
Inferi, alii Terrestres, alii Aquatici.

Ad cœlestes referimus & ratione quidem *originis* 1. *Verè cœ-
lestes*, ut sunt, Sol, Luna, stellæ erraticæ, & fixæ. Tale erat idolum
Israelitarum יְיָ Amos 5, 26. quod alii Sidus, alii Stellam Sa-
turn.

tum interpretantur. Unde etiam quidam Caph litera inferne evanida & inserto μ , Act. 7. 43. Tale etiam Idolum Gad, Esa. 65. 11 quod quidam exercitum cœli significasse dicunt, & Meni, quod aluffatum, alii numerum stellarum interpretantur. Ibidem apud Esaiam.

2. Opinione cœlestes, ut sunt homines, quos per Stellas & Planetas colere voluerunt pagani. E. G. Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, & similes mortales, Castor, Pollux. Ratione officii cœlestes Dii erant præfecti. 1. Vel certis cœli regionibus, ut Æolus, Boreas. 2. Vel rebus humanis, ut Cœlus, Dies, Æther, &c. 3. Vel aëri, ut volucres cœli, Rom. 1. Tale idolum extat 2 Reg 17, 31. quod coluerunt Sepharvaim, habebatque speciem Pavonis.

Inferi Dii erant præfecti locis infernalibus & suppliciis impiorum, ut Furia, Parca, Pluto, Proserpina, Æacus, Cerberus, Minos, Charon, Vejupiter, &c.

Terrestres erant 1. vel Montani, ut Oreades, seu $\omicron\rho\epsilon\epsilon\omicron\iota$, quorum mentio fit 1. Reg. 20, 23. 2. Vel Sylvani, ut $\aleph\delta\psi\aleph$ Asima, hircus sylvestris, idolum Hemathæorum, 2 Reg. 17, 30. 3. Vel Pastorum, ut Pan. 4. Agricoliarum, ut Fauni. 5. Omnium, quæ in terrâ & in terra nascuntur, ut Arborum, frugum, herbarum, metallorum, Unde Juvenalis:

Porrûm & cape nefas violare & frangere morsu.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis

Numina. Talis erat Flora, Ceres, Liber. 6. Virtutum, Viti-
tiorum & affectuum, ut Astræa, Suada, Fides, Otium, Labor.
7. Dii urbium. Nam suus cuique urbi tutelaris Deus erat. De tribu Juda affirmat idem Jerem. c. 2, 28. Quod si singulæ civitates Juda singulos Deos coluerunt, sequitur, centum ferè Idola tum temporis in Juda sola extitisse, cum Josuæ 15. cap. civitates Judææ tribus numerentur octoginta, & quod excurrit. De mira & ridicula ratione evocandi Deos gentiles ex urbibus, obsessis, lege, si placet, Macrobi. l. 3. Satur. c. 6. & Camerar. cent. 2. horar. succifi. c. 9. fol. 36. seq. 8. Imagines hominum, ut Herculis, quem coluerunt Tyrii, 2. Maccab. 4, 19. Jupiter Xenius, 2. Maccab. 6, 2. Hercules $\alpha\lambda\epsilon\chi\alpha\alpha\kappa$, quem ante ædes tanquam domus con-

servatorem statuerunt & pinxerunt. 9. Vel *Imagines quadrupedum*, ut felis, canis & bovis, qualis erat Ægyptiorum Idololatria, teste Herodoto in Euterpe, unde etiam orta est *μορολατρεία* Israelitarum, Exod 32. Sic Anamelech, 2. Reg. 17, 31. erat idolum repræsentans equum, Astharot idolum seu Dea Sidoniorum effigiem habens ovis, 1. Sam. 31, 10. 1. Reg. 11, 5. Draco idolum Babyloniorum, Dan 13, 23, 25. 10. *Bipedum*, ut Nergal gallina sylvestris, idolum Cuthæorum, 2. Reg. 17, 30. 11. *Reptilium*, ut Nechastan (à materia area sic appellatur) idolum serpentis ænei, comminutum ab Ezechia, 2. Reg. 18, 4. 12. *Dei morborum & aliarum rerum ad vitam humanam spectantium*, ut Apollo Loimius, & Jojus, Item Agenoria Macrobi. l. i. Satur. c. 10. vide Myth. Natal. Comit. l. i. p. 14. & seq.

2. Furor gentium in Ecclesiam Christi.

Quartæ Classis Dii sunt *Aquatici*, E. G. Tethis; Nymphæ: Talis fuit Dagon Philistinorum, qui pube tenus hominis formam infernè piscis imaginem retulisse putatur. Alias dicitur Asdod, 1. Maccab. 10 83.

Hactenus de ortu & progressu Paganismi. Sequitur ejus Furor in Ecclesiam Christi. Quemadmodum sculptile Philistinorum Dagon tamdiu salvum consistebat, donec propter ipsum arca Domini constituta esset. Illa accedente, subito machina Dagonis detruncata & mutilata collabascere cœpit, 1. Samuel. 5, 4. Sic etiam Paganismus tamdiu felices habuit progressus, donec arca illa fœderis mystica & *ἰλαθῆριον* nostrum Christus, Rom. 3, 25. in terram venit, & lux Evangelii in N. T. orta Ethniciismi tenebras dispulit, quamvis illa Evangelii doctrina non sine cæde & sanguine fuerit propagata. Nam decem persecutiones adversus Christianos excitavit Diabolus, quarum prima Neroni assignatur. Ab hoc usque ad Constantinum Magnum, primum Christianum Imperatorem, anni 250. plus minus effluerunt. Interea continuis cædibus fœvitem est in amabile Christi nomen grassante immani Paganorum truculentia in intrepidus veræ religionis Confessores, quorum sanguine precioso inhumani Imp. Nero, Domitianus, Trajanus, Antoninus, Severus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Maximianus & Licinius manus suas polluerunt.

Genera

Contumeliæ, subsannationes, verbera, fames, d. reptiones, vir-
ga, flagrum, numellæ, fidiculæ, crux, ignis, aqua, laqueus, ensis, fer-
reæ craticulæ, excoriatio, dissectio per ferram facta, & innu-
mera alia. placitorum.

A Nerone, referunt historici, Christianos tanquam male-
ficos & genus hominum superstitionis novæ, tædâ, papyro,
ceraque supervestitos, & ad ignem admotos combustosque
fuisse. Idem, ut auctor est Cornelius Tacitus, Christianos Romæ
ferarum tergis coniectos, alios crucibus affixit, alios, ubi dese-
cisset dies, in usum nocturni luminis adussit.

Nihilo mitius grassati sunt à Morte Neronis reliqui Chri-
stianicidæ; Maximinus Imperator est persuasus à Theocno in-
cantatore quodam, DEUM (id est, oraculum Jovis) jussisse, ut
Christiani in exilium extra urbem tanquam ipsi inimici abige-
rentur. Eusebius lib. 9, cap. 2 & 3. Eccles. histor. Tertullia-
nus refert, ipsum nomen Christianum suffecisse, ut, qui id pro-
fessi essent, ad supplicia raperentur. Tabulamque condemna-
tionis tantum hoc continuisse: Reus est Christianus. Nomen
enim, inquit, non crimen in nobis damnatur. Vide exempla
de Attalo & Polycarpo apud Euseb. lib. 4, cap. 5. & lib. 5, cap. 1.
De Diocletiano tyranno, qui decimam eamque crudelissimam
persequutionem instituit, refert idem Eusebius lib. 8, cap. 11. se
vidisse urbem Christianorum in Phrygia, cum omnibus civi-
bus & parvulis funditus ab eo deletam. Ferunt oraculum edi-
tum fuisse, sub hoc Tyranno, deletis omnibus Christianis, im-
perium Romanum prosperrimum fore.

Reperiuntur etiam in Adolphi Occi libro hujusmodi nu-
mismatum inscriptiones: DIOCLETIAN. JOVIUS, MA-
XIMIAN. HERCULEUS CÆSS. AVGG. AMPLIFICATO
PER ORIENTEM IMPERIO ROM. ET NOMINE CHRI-
STIANORUM DELETO, QVIA REMPUB. EVERTEBAT.

DIOCLETIANO CÆS. AVG. GALERIO IN ORIEN-
TE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQVE DE-
LETA, ET CULTU DEORUM PROPAGATO.

Habes.

delineatam, unde non tam Gentilium indomitus furor, quam leonina potius Diaboli pellis vulpinæ assuta emicat.

3. Interitus
Paganismi.

Fuit igitur amplissimum Satanæ apud Ethnicos regnum, ut autē in bello cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, juxta testimonium Christi Luc. II, 21, 22. Sic etiam Tartareus ille Dæmō, qui Deus hujus seculi, 2. Cor. 4, 4. & Rector tenebrarum est, Ephel. 6, 12. connivente aliquantisper DEO, mundum præstigijs suis involutum securè possedit, & quietum fuit palatium ejus, donec fortior superveniret Christus. Sub cujus adventum recedere coactus est Diabolus, prævalente in primis Christianorum cœtu & accrescente per totum orbem Evangelii præconio. Oracula gentilitia eâ ipsâ, quâ Christus natus est, nocte evanuisse testantur historiæ. Quod quasi sub equuleo confessus est Apollo, cum circa id tempus consuleretur, his verbis:

Παῖς ἑβραῖος κέλετά με θεοῖς μακαρέσιν ἀνάστων

Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν, καὶ αἶδην αὐτὶς ἰκέσθαι.

Λεπὸν ἀπιθι σιγῶν ἐκ βῶμων ἡμετεράων:

Me puer Hebræus jubet & divina potestas

Deserere has terras & ad infera regna redire.

Quod superest, aris tacitus discedito nostris.

Strabo quoq; Sacerdotes Delphicos ad mendicitatem redactos scribit, quod Oraculum exaruisset. Alia plura testimonia ἀξιόμνημόνευτα de oraculorum interitu vide apud Mornæ, l. de ver. Rel. c. 32. p. 586, 587, 588, 589. Idem ex Eusebio commemorat, Apollinem Diocletiano sciscitanti de causa abolitorum oraculorum hoc respondisse: Justos os illi obturare, quò minus miracula edere possit, & Sacerdos justos Christianos interpretatus est, quos idcirco Imperator persequi cæpit. Et Porphyrius quamvis Christianorum hostis acerrimus in lib. advers. Christ. Non mirum, inquit, quod urbes peste vexentur, cum Æsculapius & Dii ab iis procul absint. Nam ex quo Jesus colitur, nihil jam utilitatis à Diis consequimur. Hanc extirpationem Idolorum prænunciavit Zachar. cap. 13, 2. Et erit in die illa, dicit Dominus Exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memora-

morabuntur ultra, & Spiritum immundum & Pseudopphetam auferam de terra.

THEOREMA IV.

Nullam religionem gentilium posse veram esse, patet ex multis firmissimisq; argumentis.

Falsitas Ethnicismi apparet 1. ex hominum *ἀποθεώσεσι*, seu, *ἐξήγησις*. ut ita loquar, Deificatione. Unde argumentum tale extruo. Quæcunq; religio non sine sacrilegio cultum adorationis DEO furatur & homines aliasq; creaturas eo afficit, illa est falsa. Ethnica religio homines, &c. adorationis cultu afficit. Major probatur ex Exod. c. 34. 14. Baruch c. 6, 5. & 6. Matth. 4, 10. Luc. 4, 8. Joh. 4. 23. Apoc. 14, 7, & c. 19. 5. & c. 22, 9. Minor *ὁ φθάλμιος φανερός* ex inductione exemplorū sup. citatorum potest demonstrari. 2. Ex absurdo, & inhonesto. Quæ religio Diabolum ipsum per statuas veneratur absurda & impia est. Ethnica religio Diabolum ipsum per statuas, &c. E. Majoris veritas patet. An non enim impium est & absurdum, diabolum gloriæ divinæ humanæq; hostem, quarentem quem ex nobis devoret, 1. Petr. 5. sub pelle sceleratissimorum hominum summæ animi devotione adorare? An non insanum est, Diabolum nocendi cupidissimum amore & honore prosequi? An non perfidum, eos qui ad gloriam DEI creati sunt, ejurato DEI adversario supplicare, & transfugas fieri? Est hoc peccatum contra præceptum DEI, 2. Cor. 6, 14, 15. Nolite jugum trahere cum infidelibus, Apoc. 3, 15, & 1. Reg. 18. 21. claudicatio in religione prohibetur. Minor manifesta evadit ex Psal. 106, 37. & Deut. 32, 17. ubi Israelitæ leguntur sacrificasse filios filiasq; suas *דמוֹתֵיהֶם* id est, demonibus à vastando sic dictis.

3. A fine Ethnicismi. Cujus religionis finis est hominum perniciēs, Deiq; despectus, ea divinitatis quicquam habere censenda non est. Talis est finis Ethnicismi, E.

Major patet ex proprio veræ religionis fine, qui est solius DEI gloria, 1. Cor. 10. 31. 1. Petr. 4. 11. & hominū salus tam temporalis quàm æterna. 2. Tim. 4. Psalm. 1. & 112, & 128. ut dictum in

C

disp.

disp. secunda supra. Minor, quæ est bimenbris, dupliciter est demonstranda; 1. quod Ethnicismus directus fuerit ad perniciem hominum, stabiliri potest 1. tum falsis ambiguisq; oraculis, quæ pater mendacij Joh. 8. & Spiritus vertiginis Esai. 19. 14. ad decipiendum homines protulit, tum miraculis ejus, quæ vel ficta fuerunt, vel, si facta fuerunt & vera, nobis miracula fuerunt. Nam Diabolus hominibus & peritior & potentior rerum naturalium virtutibus melius uti novit ad confirmandam superstitionem & ad perniciem hominum procurandam. 2. Præcipuè verò ex crudelissima idolomania id elucescit, dum infernalis ille פְּרִדְיָן seu Perditor, ut Apoc. 9, 11. vocatur, non contentus sanguine brutorum, virgines etiam & pueros lectissimos & florem ipsum humanæ gentis in victimas sibi poposcit. Apud Crentenses secundum ritum curetum immolatos Saturno infantes legimus apud Tertull. in Apolog. Et Aristomenes Messenius Jovi trecentos simul homines mactasse fertur. Adeò latè Diabolus imperitabat crudelitate tam exquisitâ, ut non alium quàm Diabolum inventorem argueret. Hujusmodi *αιδρωποφουσιας* vestigia etiam inter Israelitas deprehendebantur; Erat enim in valle (quæ הַנֶּחֱלָל Josuæ 15. appellatur) hinnom locus excelsus ædificatus, cui nomen תּוֹפֶת tophet, in quo sacrificuli Idololatræ offerebant victimæ instar & cremabant liberos hominum Idolo Ammonitarum, quod Jerem. 7, 31. מֹלֶךְ molech & Nahum 3, 14. מַלְבֵּן malben, & 1. Reg. 11. c. v. 5, מִלְכֹם milcom, & Sophon. 1, 5. מַלְכֹם malcom dictum fuit. Id fecisse legitur Rex Moabitarum Mesa 2. Reg. 3. 27. & rex Achas 2. Par. 28, 3. & 2. Reg. 16, 3. Item Manasses 2. Reg. 21, 6. Undè pius Rex Josias locum illum polluit projiciendo illuc cadavera, fimum ac res omnes immundas ne amplius horribili illi idolomania consecratus esset. 2. Reg. 23, 11, 12, 14. De his vide multa apud Buxtorf in Epito. Rad. In libro quodam Judaico, cui nomen Ialcuth, quiq; commentarius est super universa biblia, legitur talis memoratu digna Molechi descriptio: Etsi, inquit, fuerunt omnes domus Idololatricæ in urbe Jerusalem, Molechi tamen extra urbem fuit in loco separato. Quomodo Molechus erat factus? Imago erat area faciem habens vituli, manus expansas instar ho-

minis

in manus aperientis, ut ab uno aliquo accipiat, intrinsecus excavata. Septem extructa fuere sacella, sive cubicula, ante quæ imago fuerat collocata. Avem seu pullum columbinum offerens, primum sacellum ingrediebatur, ovem aut agnum, secundum; Arietem, tertium; vitulum, quartum; Iuvencum, quintum; bovem, sextum; Qui deniq; filium proprium offerebat, septimum occupabat sacellum. Hic Molechum osculabatur juxta Hose. c. 13, 2. Filius autem Molechum ponebatur. Molechus igne supposito inflammabatur; donec ferri igniti instar excandesceret. Infans a sacrificulis candentibus idoli manibus indebatur, ac ne parens ejulatum pueri exaudiret, tympana pulsarunt, &c. Verum hæc malignitas Diaboli ipsis etiam Ethnicis adeo tandem displicuit, ut etiam Dæmonas interdum bove pro homine contentos esse jusserint, & à Romanis ista ἀνθρωποθυσία 80 ante Christum incarnatum annis damnata fuit, juxta Morn. de Ver. Rel. p. 386. Ex his apparet, in perniciem humani generis gentilissimum esse inventum.

2. Gloriam DEI quod attinet, eam violatam esse per hanc immolationem victimarum humanarum, quis dubitet? Quemadmodum enim Regi tædiosum & ignominiosum videtur, si imaginem suam conspurcari & pessum dari videat: Ita DEUS Regum Rex & Dominantium Dominus 1. Tim. 6. Psal. 136. Dan. 2. dedecori sibi ducit, si homo ad imaginem Dei conditus, vita privatur Gen. 9. 6. Respexit autem Diabolus introducto Paganismo suam ipsius gloriam, quam semper quærit, ut apparet Matth. 4. ubi gloriatur de possessione regnorum mundi, & cupit DEUS haberi. Possent alia etiam argumenta contra gentilitatem proferti numero plurima, pondere gravissima, sed ne in sole positus facem allucere videar, reliqua sicco pede pratero.

THEOREMA V.

Objectiones Ethnicorum de oraculis & vaticiniis futurorum eventuum, item de miraculis facilem habent solutionem.

Iniurgunt autem hic contra nos Patroni Dæmonum. Quæ
inquiunt, religio confirmatur miraculis, ea est divinæ originis.
Ethnicismus confirmatus est vaticiniis futurarum rerum. E. Re-
spond. negando majorem illimitatè sic acceptam. Non sunt
propria veræ religionis nota, Miracula. Non enim 1. *Soli religio-
gioni veræ conveniunt.* Nam & Pseudoprophetæ & PseudoChristi
surgent & dabunt signa magna & prodigia, Matth 24, 24. Et Ma-
gi in Ægypto, quamvis Idololatræ essent, simias tamen Dei age-
bant & ejus prodigia æmulari nitebantur. Quin & Christus i-
pse dicit Matthæi 7, 22. etiam hypocritas posse multas virtutes
præstare in nomine DEI. 2. *Nec omni veræ religioni & Ecclesie ve-
ræ conveniunt,* nam Johannes B. veram religionem docuit, sed
miracula nulla edidit, Johan. 10. 41. 3. *Nec semper conveniunt.*
Nam paulò post Apostolorum tempora cessavit donum miracu-
lorum, teste Eusebio l. 5. hist. Eccl. c. 7. Minorem etiam ne-
gamus. Nam non sunt vera idolorum miracula, quæ gentes pro
Idolomania stabilienda passim adducunt. Quædam sunt ὄντως;
quædam φαινομένως miracula: ὄντως seu verè sunt miracula
quæ à DEO ipso profecta Idolis adscribebantur, ut si quid feliciter
gestum erat, fortunæ, quæ merum phantasma est, adjudicabant,
vel mali alicujus amolitionem Deastris suis acceptam ferebant.
Vera quidem hæc erant miracula, ratione sui, sed falsa ratione
causæ efficientis. 2. φαινομένως seu apparenter erant mira-
cula, 1. quæ fiebant secundum naturam, quamvis imperitum vul-
gus ea pro ὑπερφυσικῆς habuit. Qualia multa miracula in natu-
ralibus conspici quis negat nescitve? ut cùm ad fontem accendi-
tur tæda, aut cùm certa quadam adhibita mixturâ aqua aquam
absumit comburitq; & similia, vid. exempla multa apud Clariss.
& Excel. Dn. D. Præsidentem part. 1. Phil. Sob. pag. m. 1180. & More-
næ. 1. de Ver. Relig. c. 23 p. 393. 2. Apparenter tantum sunt mi-
racula, quæ præstigiis magicis sunt ab hominibus edita, quæque
divina virtute crediti illi sunt facere, vel à Diabolo edita sunt
ita, ut eorum causæ in natura latuerint, quale est Accii Navii
Auguris, qui coram Tarquinio cotem novaculâ discidit & simi-
lia.

Secunda Objectio Ethnicorum est de Oraculis. Ita ratioci-
nantur.

Oraculis, E. Respondetur. Distinguendo inter Oracula vera seu
certa & Falsa seu ambigua. Major igitur intelligi debet de veris
Oraculis, quanquam nec illa perpetua sunt Ecclesiae nota. Sed
tunc Minor propositio non potest concedi; Nam Ethnicorum
Oracula sunt:

1. *Ambigua*, ut declarat Exemplum Pyrrhi, cui Apollo re-
spondit. Aio te Æacida Romanos vincere posse, & Cræsi, cui de
exitu belli adversus Persas suscepti quærenti respondit: *Κροῖσος*
ἀλὴν Δαρείου μεγάλην δόχην κτ' λύσει i.e. Cræsus Halim penetrans
magnam pervertet opum vim. Sic Atheniensibus fugâ sibi con-
sulendum adversus Xerxem consulit, Et Salaminiis excidium à
Persis minatur, *aut Hieme*, inquiens, *aut æstate*.

2. *Falsa*; Nam Oenomaus apud Græcos Philosophus celebris
plurima Oraculorū mēdacia collegit & annotavit teste Morn. l. d.

3. *Impia*. Quia verbis captiosis & flexibilibus credulos ho-
minum animos sæpè suspensos tenuerunt, sæpè etiam in exitium
precipites dederunt.

THEOREMA VI.

*In conversione gentilium ad Christianismum ordiendū
à confutatione doctrine Ethnicæ, post informandi in ortho-
doxæ fidei precipuis articulis.*

Ut ager semen concipere & fructus ferre vix potest, nisi pri-
us repurgatus sit à lapillis, à spinis aliisque frugum impedimentis:
Ita semen verbi divini in agro humani cordis radices agere non
potest, si non errorū spinæ ex eo prius fuerint funditus extirpatæ.
Id quod observandum cum primis in Gentium conversione. Hinc
D.P. antequàm Romanis Evangelium de Christo inculcaret, osten-
dit in i. cap. gentiles superstitiones fuisse vanas, v. 21, 22, 23. Ita etiam
procedendū in convertēdis aliis Paganis, 1. *ἀνασκαδικῶς* auspi-
candū ab eorū erroribus & doctrina, quæ refutanda est. 2. Progre-
diendū *κατασκαδικῶς* ad articulos nostræ fidei, de Deo, uno in
essentia & trino in personis, de creatione & providētia Dei, de lapsu
Angelorū & hominū, de peccato, de Persona, officio & beneficiis

Christi & ne consequenter. 3. Non ipsorum exceptiones sunt re-
futandæ. 4. Deniq; vi sacri baptismatis explicatâ sunt baptizan-
di. Eadem viâ rem illam aggredi solent hodierni Lojolitæ in con-
vertendis exoticis populis, Americanis, Indis &c quam si etiam
in Ecclesiis suis scholisq; observarent, haud dubiè pro Luthera-
nis haberentur, & anathemate Papæ ferirentur. Vid. rationem
convertendi Indos à Jesuita, Baptista Montio traditam citatam-
que à Phil. Nicol. l. 1. de regno Chr. p. 54. Et Nicolai Herborn
Epitomen convertendi gentes Indiarum ad fidem Christi, in li-
bro, qui inscribitur, Novus Orbis p. 607.

THEOREMA VII.

*Gentiles armis invadere & terras eorum occupare pro-
pter infidelitatem non est licitum.*

Scholastici asserunt, posse principes Christianos salva con-
scientia quoscunq; infideles sibi non subditos armis subjugare,
propterea solum quod infideles sint. Nos negativam senten-
tiam veriore esse statuimus, moti his rationibus.

1. Sumitur *ἀπὸ ἀνομιῶν ἡ τῶν κλημάτων* seu à proprietate
dominij gentibus concedenda. Quicunq; sunt veri rerum sua-
rum Domini, facultatibus suis exui non debent ab ijs, qui in eos
nihil juris habent, nec ab ijs læsi sunt. At infideles sunt rerum
suarum Domini quamvis sint impii & Gentiles. E. Minorem
probo his dictis. Exod. 20. Non furtum facies. Quod præceptum
etiam principes concernit. Quum igitur omnes vi illius præce-
pti debeant suas sibi res habere, sequitur etiam gentiles possessio-
nibus suis non esse exturbandos. Dan. 2. De Nebuchdonosare
dicitur, Deum ipsi imperium dedisse. Et. verus fuit ejus posses-
sor.

2. *A defectu mandati divini & exemplorum.* Nullibi præceptum
est magistratui, ut infideles Gentiles imperio suo subjiciant, ob
solam idololatriam quin potius Christus jubet, ut Zizania per-
mittantur crescere, Matth. 13. Et Esai. c. 11. 6. de tempore N. T. sic
vaticinatur: Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo ac-
cubabit, v. 7. Vitulus & leo & ovis simul morabuntur, v. 9.
Non

Non nocent & non occidunt in universo monte sancto meo.
Similia loca sunt Esa. c. 65, 25. Zach. 9, 10. Esai. 11, 4. 2. Nullibi
Christiani Magistratus leguntur bello infestasse gentiles & qui-
dem alienæ potestati subjectos, ob *επιεργοξίας* solam; nam quod
exemplum Israëlitarum attinet, qui cananæos expulerunt terri-
toriis suis, id speciale & extraordinarium est, nec ad consequen-
tiam trahendum, nisi simile mandatum Dei possit ostendi, vid.
Deut. 12, 2. ubi extat illud mandatum. Ecclesia Christi non sitit
sanguinem, quia sponsus ejus est agnus. Frustra igitur excusare se
tentant Pontificii Zelo convertendi homines. Nam

Sæpè scelus cæli Zelus velamine textit,

Religio velum est, quod tegit omne scelus.

3. A damno. Maximæ cædes & ruinæ imperiorum imò vastitas
totius generis humani, metuenda esset, suam enim, quisq; reli-
gionem esse orthodoxam, credit, alios verò infideles judicat.
Undè quævis gens putare posset se justam habere belli causam,
contra alios diversæ religioni addictos, & ita totus mundus bel-
lis undiq; ardere inciperet, si nimirum propter infidelitatem a-
lios oppugnare liceat, vid. Part. 3. Phil. Sob. pag. 972. seq.

THEOREMA VIII.

*Cum infidelibus Ethnicis certo modo & respectu conver-
sari & cum primis disputare licet.*

1. Quod conversationem cum Ethnico habendam spe-
ctat, sciendum Amicitiam seu etiam conversationem esse in qua
druplici differentia: 1. Politica seu civilis, quæ in negotiationi-
bus & contractibus politicis consistit. 2. Physica, seu Naturalis
quæ ex communiione sanguinis ortum trahit. Talis est inter mari-
tum & uxores, inter parentes & liberos, fratres & sorores, agnatos
& cognatos. 3. Ethica vel Moralis quæ virtute contrahitur,
quam Aristoteles l. 8. Ethic. c. 2. definit: *Ἐνοιαὶ ἐν ἀνὴ πεπενηθῶσι
Φιλίαν μὴ λαυθαίνουσαν*, id est, benevolentiam in par pari referen-
tibus non latentem. 4. Theologica & spiritualis, quando omnes
Christiani in unum corpus mysticum copulantur per unitatem
spiritus & fidei.

2. Chri-

2. Christianus autem cum Pagano qua tali potest colere amicitiam civilem & Naturalem, non autem spiritualem nec Moralem.

3. Civilem amicitiam coli posse inter Christianum & Paganum probari videtur 1. per necessitatem. Quia enim non omnis parit omnia tellus. Et Alterius

Altera poscit opem res & conjurat amicè Horat. in arte, ideò ad sustentationem vitæ humanæ id quod alia regio abundè habet, in nostram est comportandum, & illorum copiã nostra sublevanda est inopia. 2. Per exempla piorum. Abrahamæ, qui ex candefacta annonâ ad Ægyptios Gentiles rerum suarum domicilium transtulit Gen. 12, 10. Isaac cum Philistinis itidem gentilibus familiariter conversatus est, Gen. 26, 6. Salomoni cum Rege Tyri Hiram, qui Ethnicus erat, jura amicitiae intercesserunt, à quo multa ad regni amplificationem necessaria Salomoni subministrata sunt 1. Reg. 5, 2. Christus ipse, cujus actio est nostra institutio, cujus vita est ὁ ποταμὸς omnium virtutum, & pietatis, 1. Pet. 2, 21. Sæpè cum Ethnicis familiariter vixit, in Ægyptū fugit, Matth. 2, 14. cum Centurione loquebatur amicè, Matth. 8. cum cananæa muliere, Matth. 15, 21. Marc. 7, 20. cum Samaritano, Luc. 17, 17. cum Samaritana Joh. 4, 8.

4. Quin etiam Naturalem amicitiam inter Christianos & Ethnicos esse posse, testatur experientia. Esavus cum Jacobo primo reversionis ex Mesopotamia tempore in religione non omnino conspirasse putatur, quia mulierem Cananæam duxerat, fraterno tamen se invicem amore prosequabantur, quem amplexibus & flexu poplitis & osculis declarabant. Vide cap 33 Gen. v. 4. seq. Sic Josephus in matrimonium duxit Asnath filiam Potipharis Sacerdotis Ægyptij Gen. 41, 45. Moses Ziporam Midianitidem, Exod. 1, 21. Simson mulierem de filiabus Philistinorum, Judic. 13, 2. Salomon filiam Pharaonis duxit 1. Reg. 7, 8. Sic etiam lege Ruth. 1, 4. Esth. c. 2, 4. Talia exempla approbat D. Paul. 1. Cor. 7, 12, 13, 14, & seq. & Christus Matth. 19, 9.

5. Moralis verò amicitia Christiano cum Gentili præsertim obstinatè in superstitione hærenti, firmiter intercedere non potest. Probo hoc 1. testimonio Aristotelis lib. 8. Ethic. cap. 7.

τελεία

τελεία ὄσιν ἢ τῶν ἀγαθῶν φιλία, καὶ κατὰ δρετὴν ὁμοίων. Perfecta
amicitia est bonorum & eorum qui virtute sunt similes. Genti-
les verò sunt manifestè blasphemi, impii, mendaces & publici ve-
ritatis hostes, ita ut à Christianis omnibus naturali quasi divortio
dissideant. Itaq; nullo coagulo ferruminari eorum mentes pos-
sunt.

6. Spiritualis amicitia multò minus inter tales esse potest,
quod patet 1. ex præcepto DEI 2. Cor. 6, 14. Nolite jugum ducere
cum infidelibus, &c. 2. ex diversitate doctrinæ. Quorumcunq;
diversa est fides, illorum amicitia verè solida esse non potest,
quia teste Nazianzeno, nihil ad concordiam usq; adeò validum,
in iis, quibus res divinæ curæ cordiq; sunt, quam consensus de
DEO, nec quicquam adeo facit ad dissidium, atq; de eodem dis-
sensio.

7. De disputatione cum Ethnicis observandum, licere
quidem eam suscipere, si non pertinaces sint: Quod enim Tit. 3,
10. de hæretico dicitur, Hæreticum hominem post unam & alte-
ram admonitionem evita, id huc rectè applicare videtur Gre-
gor. de Val. tom. 3. p. 496. Docet etiam id exemplum Eliæ 1. Reg.
18. vide historiam memoratu dignam de Philosopho, qui in con-
cilio Niceno est conversus, apud Hafenref. L. C. de scriptura
p. 116.

8. Notandum, quandò hujusmodi conversatio cum Pa-
gano institui possit & debeat? Nimirum 1. in casu necessitatis, si
necessaria vitæ adminicula non nisi ab illis adipisci queamus, vel
in eadem urbe, qua illi vivamus. 2. Quando spes est conversio-
nis eorum. Non voluptatis nec honoris nec lucri causa, nec ni-
mis crebrò cum illis conversandum. Habet enim vim ἐφελευσι-
κὴν omnis falsa religio, & Colloquia mores prava corrumpunt
bonos 1. Cor. 15, 34. sermo hæreticorum ut cancer serpit, 2. Tim. 2, 17
Cæterum gentiles admonere, errores aperire & ad veram reli-
gionem instigare, pio homine digna diligentia est.

9. Iudicio firmato & animo benè præparato acceden-
dum ad disputationem & conversationem talem, ne à simplici-
tate excidamus, quæ est in Christo, 2. Cor. 11. 3. Non sit animus
ad Ethnicismum inclinatus. Nam ut sæpè in castris miles quis-

D

piam

piam clanculum ad hostes transit non ut Apostata, sed ut explorator. Ita etiam Ethnorum mores disputando cognoscere licet, ut eò melius ab iis caveamus.

10. Gregor. de Valent. tom 3. disp. 1. quæ. 10. p. 494. existimat clericis tantum licere disputare cum Ethnicis. Atqui Paulus jubet Thessalonicenses in genere probare omnia, 1. Theff. 5, 21. & 1. Joh. 4, 1. dicitur: Probate spiritus an ex DEO sint, cur igitur non liceret omnibus Christianis disputare, si præcedentes cautelæ adhibeantur?

THEOREMA IX.

Non licet Gentiles ad fidem Christianam per vim compellere.

1. Probatio sumitur à defectu divini præcepti. Nusquam in S.S. legitur, hominem ad religionem ferro flammisq; debere adigi. Christus jussit Matth. 10, 14. Qui non excipit vos neq; audit sermones vestros, cum exitis ex ædibus aut civitate illa, excutite pulverem ex pedibus vestris Mat. 28, 8. dicit: Euntes docete, non addit, cogite. In parabola quidem Luc. 14, 23. Servus jubetur *ἀναγκάζειν*, compellere, ut intrent. Sed hic notandus est canon, Theologicus. Theologia parabolica non est argumentativa. 2. Non intelligitur hic violentus compulsus, quia ministros Dei non decet *κατακυριεύειν τῶν κληρῶν* id est dominari in clericos. 1. Pet. 5, 3. Sed Pseudoprophetarum nota est, de quibus dicitur Jer. 5, 3. quod dominantur potestate sua. 3. Suavior compulsi hic intelligitur, ut sunt prædicatio legis & verbi, quod penetrantius est omni gladio ancipiti Hebr. 4, 12. & Comminatio severissima pœnarum corporalium & æternarum. Tit. 1, 14. 2. Tim. 4, 2. quod testatur & ipse Gregor. de Val. to. 3. disp. 1. q. 10. col. 1503.

2. Ab impossibili. Fides est in animo, nimirum in intellectu, quoad notitiam, in voluntate, quoad assensum. Animo autem humano nulla vis ab hominibus adferri potest, Luc. 12, 4. Matth. 10, 28. cujus jus & arbitrium sola divina majestas peculiari privilegio sibi reservavit. Homo in corpusculum sævire potest & Anaxarchi follem tundere, non autem ipsum Anaxarchum.

Homo

Homo in faciem, Deus in præcordia contempletur. Nemo tyrannus ullis cruciatibus exprimet, ut quis credat, quod non libet credere. Fidei & pietatis augusta sedes est in intimo recessu animorum. Vis & minæ non efficiunt Christianos sed hypocritas, purpuræ cultores, non veri numinis. Nihil est tam voluntarium tam suæ spontis, tam impatiens dominationis, quam religio, quæ si cogitur, non amplius est religio, sed fucus & inane simulacrum. Igitur principes ac terrarum Domini sic imperium temperare debent, ne ultra, quam homini concessum est, imperare præsumant, &c. ut eleganter differit Clarissimus vir Dominicus Baudius in præfat. induc. Belgicar. Idem consilium placuit Laudatissimo Regi Poloniae Stephano, qui crebrò dicere solitus est: Deum tria sibi reservasse, in quibus nec velit nec possit habere parem. 1. Dominari conscientis, 2. scire futura, 3. ex nihilo aliquid facere. Maximilianus II. Cæsar dixit nullam tyrannidem intolerabiliorem esse, quam conscientis velle dominari. Fieri igitur non potest, ut homo hominem ad fidem, à qua abhorret, externis viribus pertrahat invitum. Unde etiam D. Paulus 2. Cor. 1, 24. scribit: Non dominamur fidei vestræ; quia hoc ad solum DEUM pertinere noverat.

3. A defectu exemplorum Nullum exemplum datur vel in V. vel in N. T. ubi fuerint armis & ferro homines compulsi ad religionem. Docuerunt babtizaruntq; omnes Apostoli. Nemo occidit hominem ob perseverantiam in errore. Militiæ nostræ arma, non sunt carnalia, 2. Cor 10, 4. Rectè itaq; Gregorius: Pastores, inquit, facti sumus, non percussores, & egregius prædicator (intelligit Paulum 2. Tim. 8, 2.) argue, inquit, obsecra, increpa in omni doctrina & patientia. Longè diversa sunt Carnificina & Pietas. Nova verò & inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem, Hucusq; Gregor. l. 2. Epist. 52. Religio itaq; spontè suaderi mavult, quàm malo cogi, flecti quàm frangi, duci quàm trahi. Videatur Clariss. & Excell Dn. D. Meisn. Præceptor meus honorandus par. 3. Phil. Sob p. 864. Georg. Schonb. in Polit. p. 208.

SOLI DEO GLORIA.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DEO GRATIAS



05 A 759

ULB Halle
003 766 73X

3




1017

01







IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem
DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS
generatim consideratis
DISPUTATIO VII.

De
GENTILISMO.

Quam
Adspirante Dei ter Opt. Max. gratiã

sub
PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Th. D. & Profefs. publ.

Ad placidam συζήτησιν pro-
ponit

JACOBUS KOCKER T
Lübecensis Saxo.

Ad diem Octob. horis pomeridianis,
In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M DC XXV.